



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

§. IV. Benevolentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

SPRECU-  
LUM SPI-  
RITUA-  
LE.  
Math. 5

preces ad Deum fideliter fundito: quemadmodū ipse Christus monet, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persecutibus & calumniantibus vos.*

2.  
Egeni,  
in qua-  
vis aru-  
mna

Erga quoslibet tentatos, afflictos & necessitate aliquā pressos, gere viscera misericordiæ plena. *Ærumnas egenorum hilariter elemosynis releva pro modulo facultatum tuarum. Crede te dare Christo quod das pauperi.*

3.  
Anima-  
bus, in  
Purgato-  
rio;

Mitte etiam fidelibus animabus quæ in pœnis Purgatorii adhuc detinentur, spirituales elemosynas, orans devota mente pro illis. Quidquid pro earum absolutione & refrigerio piè feceris, Christus, qui illas ardentè diligit, id ita accipiet, quasi tu ad ipsum in carcere positum venisses, eumque inde liberare sategisses. Nam illæ ad Corpus Christi mysticum pertinent, & Christus in Evangelio asserit sibi præstari quod membris suis præstatur.

Unde & ait: *In carcere eram, & venistis ad me.*

#### §. IV. BENEVOLENTIA.

1.  
Omnibus  
bene op-  
tandum  
& pro-  
eandem.

Omnium salutem magnoperè desidera, nec tibi levis iactura videatur, si pereat unica anima rationalis: quæ (cū sit imagine DEI insignita) excellentior est & pluris fieri debet, quàm totus hic mundus visibilis. Nos omnes sumus membra unius corporis, cujus caput est Christus. Non igitur optes nec velis alicui malum, neque cuiquam invidias: sed de

Eph. 4.  
5.

bono alterius gaude. Nemini scienter injuriam inferas. Neminem imprudenter conturbes aut contristes. Nemini quidquam facile exprobes. Cum omnibus pacem (quantum in te est) habeto.

Si fortè inter te & alterum exortum fuerit dissidium vel rixa aliqua gravior, mox de reconciliatione sollicitus esto, & fac quod tui officii est, tamquam humilis & verus servus Christi. Quin & alios inter se dissidentes ad tranquillitatem & concordiam revocare stude, pià oratione ad Deum fusâ, aut etiam alio modo congruenti.

Neminem cum dedignatione asperneris aut contemnas: id enim sanctæ humilitati & charitati valdè contrarium est. De nullius adhuc viventis salute penitus desperes: quia qui modò per-versus est, potest mox Dei gratia bonus effici. Pons divinæ misericordiæ nondum est dejectus, sed adhuc securum præstat transitum his qui respiscunt.

#### §. V. COMPASSIO.

Sicut afflictis, ita & peccantibus piam cōpassionem atque commiserationem exhibeto. Ingemisce propter ignorantiam & cæcitatē humanam. Veniat tibi in mentem, quanta sit & diaboli tentantis malignitas atque infestatio, & hominis tentati infirmitas atque corruptio. Extenua culpas aliorum, eosque excusa quantum convenienter potes: sed de his